

cursu, vel navis retardetur, ut de aliis, quae Oppianus ponit, taceam. Quantum ad *Generationem*, sponte sine coitu ex imbris spumescente mari nasci; alias e limo putrescente scilicet et ipso, vel quicquid in fundo collectitum est oriri, prodidit Oppianus. Nec aliter Aristoteles, illud si excipias, quod quandam e piscibus oriri addit. Nam apud eum *ἐν της ἀμμώδεσ γῆς* seu ex fabulone, id exercit. *Sca-*
līg. c. 14. *A.* quod Apuae spumam vocant, prodire legimus. Argumentum ortus, quod frigidis temporibus non capiantur; et traheis sculpta humo, saepenumero et copiosiores et praestantiores sint praedae. Oriuntur autem opacis tepidisque locis, *ὅταν εὐημέριας γενομένης αναθερμαίνεται ή γῆ,* cum coeli clementia terra concalescit, veluti in Atheniensis agri Salamine, ad The-

mistocleum, et in Marathone. Ejusmodi omnes sunt, ut neque gradescant, neque generent, neque diu durare queant, priore turba abolita altera succrescit. In nullo apud Athenienses patinarum honore erant, si Chrysippo apud Athenaeum credimus, forte ob copiam. Archestratus *μύρθας* seu oleti instar aspernabatur. In mediterraneis expetebantur, inde pinguium Athenis nomen. Nicomedes eorum desiderio flagrans, cum haberi non possent, figuris ex rapis foemini ad earundem speciem ab Apitio dissectis, ex oleo coctis, et sale atque papavere conditis, ventrem explevit, referente Suida. Apparatum apud Aldrovandum vide. De caetero humidum et flatulentum alimentum praebent. Diphilus gravis et difficilis coctionis esse putabat.

ARTICVLVS XVII.

De Apuis in specie, et in primis Vera, Phalerica, Membrade, Cobite, et Hepteto.

TAB. XIX. Genera Apuarum praeterito recen-
12. 13. 14. 15. suimus articulo.
16.

Aldrovand. *de Piscibus* *l. 2. c. 29. 30.* *31. 32.* Prima est APVA VERA, cui, quae generatim de Apuis dicta sunt, in primis convenient, quam Graeci proprie *ἀφέων*, Athenaeus *ἀφέτων*, aliqui *ἀφέύντων* a spuma nuncupant. Suidae *ἀφέύντων* *προστηγμένην*, quasi nullis orta parentibus dicitur. Pisciculus est vix auricularis digiti longitudinem adaequans, oculis nigricantibus. Duo ejus genera. *Album* in Hollandia frequentius; et rubicundum, *Aphya Triglitis Bellonio.*

Altera est APHYA PHALERICA, vel ab Atticae portu, qui Phalereus appellabatur; vel *ἀπὸ τῶν φαληρῶν* (alba haec est et spumea Graecis) ita dicta. Sardinis est similis, minor, tenuior. Squamas in mari habet, sed statim excidunt remanentibus earum vestigiis, et iis quae ventrem firmant. Adeo est mollis et pinguis, ut si aliquando digitis tractetur, liquefiat; aut si magna copia in navi cula vehatur, supernatans oleum piscares colligant. Vedit Rondeletius unius diei capturam, quinqua-

ginta coronatis aureis venditam. Erat apud veteres in pretio, si Polluci credendum.

Tertia est MEMBRAS. Has Phrynicus apud Athenaeum *βεβράδας*, Epicharmus et Sophron *βεβραδόνας*, Attici *μεμβράδας*, Trallianus *μεμβράδια* appellasse videtur. Aristoteles *ex Aphya Phalerica nasci author est*; *l. 6. c. 15.* et inter *μονίμους* pisces, id est haud migrare solitos, recenset. Cum vero Phrynicus *χευστοεφάλες* cognominet, ac Aristophanes *πολιόγεωτας*, id est, cano corpore, Rondeletius eos pisciculos esse conjicit, qui Gallis *Celerias* vocantur. Sunt corpore admodum candido, capite auri colorrem aemulante, Sardinis valde similes. Coquuntur ex praecepto Dorianis, mutilato capite, si corpulentiores fuerint, et lotae sale minuto et aqua. Contemptos fuisse Antiphanes ostendit.

Quarta est APHYA COBITES, *κωβῖτις* Graecis, Theodoro Gobionaria. Putatur ab ignobili quodam et terram subiente Gobio procreari. Rondeletio est ille, quem Galli *Logis de mer*, ad differentiam fluvialis vocant.